

APPENDIX XI (ad n. 62, p. 232).

QUENAM FIDES DEBEATUR ECCLESIE IN *factis dogmaticis*?

I — Multi theologi, post Bosuetium præsertim, fidem Ecclesie debitam circa conclusiones quasdam quas è revelato quidem principio sed mediante aliquo facto humano illatas ipsa nos credere jubet, utpote suæ existentiae vel missioni omninò necessarias (V. p. 231, 3^o), non propriè *fidem divinam* nuncupari volunt, sed tantummodò *fidem ecclesiasticam*. — Multi, è contrà, alii illam vocant *fidem divinam*, saltem *mediatè*, utpote nixam in divinis ad Ecclesiam promissionibus (V. ap. Fénelon: *II^e Instr. pastor. sur le Cas de Conscience*, ch. XXI, 4^o; t. X edit. Versal., p. 466 et ss.) (1): imò nec tantum quoad sensum verborum vel librorum ita loquuntur, sed etiam quoad legitimitatem Pastorum, in quâ certè factum humanum satis complexum necessariò intercessit (2).

Porrò nos quidemprimùm, cum Fenelonio (l. cit.), observabimus hunc vel illum loquendi modum satis parùm referre, et utrumque admitti posse, modò Ecclesia in iis verè infallibilis et proinde fides interna illic verè debita habeatur (3).

II. — Liceat tamen observare etiam, saltem ubi de sensu verborum vel librorum agitur (quod potissimùm sub nomine *factorum dogmaticorum* venit), priorem loquendi modum satis superfluum videri et nimiis subtilitatibus viam aperire natum: unde nos, Fenelonio duce, posteriorem duximus præeligendum. Secus enim, dicendum

(1) Cfr. et Muzarelli: *Un fait dogmat. décidé par l'Eglise est-il objet de foi catholique?* inter *Opuscula*.

(2) Circa controversias inter theologos in hoc puncto emotas, V. Serry: *Hist. Congregationum de Auxiliis* (ed. 1709) l. V, s. V, c. IV, p. 836 et s., et alios auctores indic. ap. D. Puyol. *Edm. Richer...* T. I, p. 169.

(3) Inter theologos recentiores nimis in hoc molliter se gerere videtur Knoll (Alb. à Bulsano): *Institut. theol. dogm. gen.* § 240, ubi nimium movetur auctoritate Muratorii: *De ingeniorum moderatione in religionis negotio* (sub pseudon. Lamindi Pritanii), l. I, c. XIX et XX; de quo, licèt aliunde benè merenti, scripsit Bened. XIV: « Oh! quàm multa in ejus libris reperiuntur censurâ digna!... » (Ben. XIV *Epist. pro Card. Norisio apologetica*. Opp. t. VI, P. III, p. 117).

esset non modò non in condemnatione libri alicujus sed nec in ipsâ Propositionum condemnatione fidem propriè divinam deberi; siquidem non Deus ipse sed Ecclesia dixit hæresim verbis talium Propositionum exprimi. Unum nempe dixit Deus, talem talemve doctrinam, quibuslibet verbis exprimatur, esse hæreticam; et Ecclesia infallibiliter declaravit doctrinam illam, v. g., exprimi verbis tum Quinque Propositionum, tum ipsius Libri qui Jansenii inscribitur. — Quomodo ferè Deus non ipse dixit Filium esse *consubstantialem Patri*, sed dixit Filium esse *unum cum Patre*, quibuslibet id exprimatur verbis; et Ecclesia infallibiliter declaravit id optimè exprimi per verbum *consubstantialem*. Num ideò dicendum erit Filium cum Patre unum esse *de fide divinâ*, consubstantialem autem *de fide ecclesiasticâ*?... Jam certè in ambages immitteremur indefinitos.

III. — Quoad Bossuetium autem personaliter, certum videtur illum primò non admisisse infallibilitatem in factis dogmaticis divinitus Ecclesie promissam esse (V. illius *Lettre LII, au maréchal de Bellefonds*, et *LIII, aux Religieuses de Port-Royal*). Utrum postea admisserit, controvertitur (V., ex unâ parte, D. Gosselin: *Hist. litt. de Fénelon*, 3^e p. n. 49 et ss; itemque in addit. ad *Hist. de Fénelon*, par M. de Bausset (1850), t. III, p. 450 et ss.; D. Lequeux in addit. ad Picot: *Mém. pour l'hist. eccl. du XVIII^e s.*, t. VII, p. 485 et ss., rursusque, p. 498 (1); — ex alterâ autem, V. eruditos artic. P. Gazeau, ap. *Etudes des Jésuites*, juill. 1875, mars et août 1876; avril 1877).

APPENDIX XII (ad n. 68, p. 252).

DE VARIIS MODIS QUIBUS STATUS CIVILIS SE HABERE POTEST RELATE AD RELIGIONEM, **et de liberalismo religioso.**

I

Potestas civilis, seu, ut dici solet, Status relatè ad Religionem et

(1) Ipse cæteroquin Fénelon pro ingenitâ suâ animi generositate, Bossuetium ab hac labe defendere et tanti viri auctoritatem Jansenistis eripere conatus est pluriès; V. v. g., ejus opp., ed. Versal. t. XII, p. 221, t. XIV p. 289.

societatem religiosam seu Ecclesiam, quadruplici modo se habet. Nempe, — vel ei se opponit; — vel nequaquam de eâ curat; — vel eam protegit *negativè*, i. e., ita ut liberam ejus actionem tantummodò permittat; — vel ipsam protegit etiam *positivè*, i. e., ita ut ejus actioni plùs minùse obsecundet.

I^{us} modus est *persecutio*, de quo nihil hìc particulare dicendum.

II^{us} modus est systema *indifferentiæ* seu *omnimodæ separationis*, de quo hìc quædam habemus observanda, scilicet :

1^o In hoc systemate, Status in legibus suis conficiendis speciali Religionis commodo vel incommodo nequaquam attendit. Societatem religiosam, si qua sit, aut ignorat, aut non aliter habet ac associationem quamlibet privatorum hominum, quæ non ad peculiarem protectionem jus habet. Unde, notatim, non illius ministris stipendium aut sumptibus subventionem confert, nisi fortè ob illatum aliquod damnnum aut factam aliquam commutationem.

2^o Talis porro agendi ratio, non obstantibus summis quibus eam aliqui hodie extollunt laudibus, manifestè repugnat tum certissimis infallibilis Ecclesiæ nostræ documentis, tum evidentissimis Dei exigentiis et naturæ humanæ necessitatibus. Etenim — 1 — SS. Pius Papa IX, a. 1864, in Encyclicâ *Quantà curâ...* (V. suprâ, p. 140), primo loco, reprobât ac damnât principium eorum qui audent docere « optimam societatis publicæ rationem civilemque progressum omninò requirere ut humana societas constituatur et gubernetur » nullo habito ad religionem respectu ac si ea non existeret... » Et certè — 2 — per se satis patet liberum ac plenum veræ Religionis exercitium esse unam è primariis tum Dei exigentiis tum naturæ humanæ necessitatibus. Undè legislator vel gubernator qui de Religionem, falsamne an veram non distinguendo, minimè curat, ne quidem ad exercitium ejus liberum ab obstaculis præstandum, suo imprimis deest officio; neque fieri potest ut tantus Dei et naturæ humanæ neglectus bono societatis etiam temporali proficiat (1).

(1) Huc cfr. ea quæ sapientissimè observabat DD. de Ketteler in suo op. : *L'Allemagne après la guerre* (1866), cit. ap. *le Correspondant*, Mai 1867, p. 226. — Ita et apud nos D. Cournot (*Matérialisme, vitalisme, rationalisme*, cit. ap. diarium *le Français*, 24 févr. 1877) : « Le pouvoir civil » manqueraît à ses devoirs en refusant toute protection, tout soutien à

3^o Imò et ferè semper Status qui theoricè profitetur se de Religionem minimè curare sive ad favendum sive ad obstandum, practicè de eâ maximè curat sed tantùm ad obstandum et pro posse suo præpædiendum, ut plurimà experienciâ constat (1).

Ex his omnibus patet systema completæ separationis, ab iis adeò celebratum qui sese dicitant *liberales* simpliciter, non esse reverà nisi *pseudo-liberalismum*, sive theoricè, sive practicè consideretur.

III^{us} vivendi modus Status relatè ad Ecclesiam est systema *honestæ*, ut ita dicam, *separationis*. Et hoc quidem systema, iis admodùm carum qui *Catholici-liberales* apud nos dici solent (2), quibusdam reapse temporibus ac regionibus admitti potest *practicè* pro circumstantiarum necessitate, dummodò non, uti quibusdam placeret, sese efferat *theoricè* in *jus absolutum*, vel in *ideale* quoddam societatis : unde jam efficeretur *liberalismus doctrinarius*, de quo infrâ.

In hoc nempe de quo nunc, systemate, 1^o — Status, necessitatum

» l'institution religieuse.... Car il proclamerait par là que la religion est » absolument étrangère aux fonctions de la vie sociale, qu'elle n'existe que » pour l'individu, et même que le pauvre, qui, selon les modernes doc- » teurs, a tant de créances sur la société, n'en a aucune en ce qui con- » cerne les secours religieux, pour le perfectionnement de sa nature ou le » soulagement de ses misères. »

(1) Hinc rectè profectò D. de Montalembert : « De la part de l'Etat, l'in- » différence à l'égard de la Religion, ce n'est pas la neutralité, c'est la » guerre, et si ce n'était la guerre, ce serait une chimère et une impossibilité. » On a beau dire que l'Eglise et l'Etat, la religion et la société peuvent » rester à côté l'une de l'autre étrangères et non ennemies, sans s'unir et » sans se combattre; non, l'Eglise et l'Etat sont unis comme l'âme et le » corps; ce sont deux forces distinctes, mais inséparables. Elles peuvent se » combattre, se vaincre, se dominer réciproquement; mais elles ne peuvent » se disjoindre que par la transformation de l'une ou la destruction » l'autre. Il n'y a pas dans l'histoire un seul exemple durable et sérieux de » cette neutralité, de cette indifférence absolue de l'Etat. Ce n'est là qu'un » de ces rêves tels que la fausse sagesse des modernes en a tant inventé. » (*Rapport sur l'observation du dimanche*, assemblée nationale, 10 déc. 1850).

(2) Hinc, inter eos, ex unâ parte, et, ex alterâ, pseudoliberales modò memoratos, vario quasi distrahitur sensu famosa nimium formula : *L'Eglise libre dans l'Etat libre*.

saltem naturæ humanæ magis gnarus, legibus suis sedulò cavet ne Religionis exercitium tantisper impediatur sive proximè, sive etiam remotè, — sicuti, v. g., fieret si Status ita puerorum educationem sibi arrogaret ut Ecclesia jam non eos nisi certis ac raris admodùm horis adire posset (quod omninò insufficiens ad animos religione imbuendos experienciâ comprobatur) (1), — si futuros Ecclesiæ ministros militiæ sæculari adstringeret (quod necessariæ ipsorum formationi quantum obstat, nemo non videt); — si plurium in vivendo consociationem aut honorum in communi possessionem interdiceret (quod vitam religiosam impossibilem redderet); etc., etc. Ab his igitur omnibus, quæ Status indifferens nequaquam vitare curabat, imò et ex industriâ quærebat, Status verè liberalis, de quo hic loquimur, sedulò se abstinere, ut Ecclesiæ quàm maximam relinquat libertatem. — Imò et eidem, — independenter etiam ab omni peculiari contractu, — stipendium aut subventionem libentissimè conferet, veluti servitio cuidam publico pro necessitatibus religiosis magnæ alicujus civium partis requisito.

In his tamen omnibus, non tam divinis quàm humanis, ut ita dicam, rationibus Status ducitur. Religionem protegit, non quia vera et à Deo imperata, sed quia civibus pluribus paucioribusve cordi est; ideoque ab actibus quæ positivam tali vel tali Religioni adhæsiōnem supponerent, regulariter abstinere. (Hinc fit ut absque contradictione istud protectionis genus in plures simul extendere possit Religiones invicem contradictorias. Imò et ita reapse fieri necesse est iis in nationibus quæ hominibus diversæ religionis ferè ex æquo componuntur.)

Verùm 2º observandum est tale systema, etsi ob necessitatem aliquando excusari possit, tria tamen et quidem gravissima secum importare inconvenientia. Etenim — 1 — cultus Deo debitus et utilitas naturæ humanæ certè expetunt ut omnis societas suum, quæ talis, exerceat cultum, sicut in Philosophiâ, ubi de *cultu publico*, demonstrari solet. Porro Status in dicto systemate constitutus nullum hujusmodi cultum, saltem si sibi consequens esset, exercere posset.

(1) V. in hoc speciatim quædam admodùm sapienter observata à D. Guizot : *Mémoires*, t. III, cit. ap. *le Correspondant*, sept. 1860, p. 64. — Cfr et recentius : *Mémoire des évêques d'Allemagne réunis à Fulda* (ap. *l'Univers*, 18 et 19 oct. 1872). Qui nempe ostendunt ex ipso jure publico Germaniæ « scholam esse *annexum Religionis*. »

— 2 — Imò nec suas leges potest verè Religioni magis quàm alii superstruere et conformare; ex quo certè multò magis utiles fierent ad bonum generale hominum; — nec enim negari potest quin ad vitam tum futuram tum etiam præsentem magis proficiat legislatio fundata super completam veritatem quàm super incompletam; aliis verbis, Status catholicus melior est quàm Status duntaxat christianus, itemque Status christianus quàm Status duntaxat theista (de Statu atheo mox videb.). — Porro Status ille liberalis de quo nunc agimus, vix ac ne vix quidem supra theismum in legibus suis assurgere logicè valet. Insuper — 3 —, etiamsi à participando positivè pluribus simul cultibus sese reapse semper abstineret, vix tamen fieri potest quin illa protectio negativa in plures simul cultus extensa, cum immunitatibus ad liberum eorum exercitium necessariis, non positivam aliquatenus ipsorum approbationem, ante populorum oculos, importare videatur, et consequenter *indifferentismum*, quo nullum pejus malum, foveat.

Ex his omnibus profectò patet tale systema, etsi aliquando *prò circumstantiis* esse possit quàm maximè acceptabile vel etiam moraliter necessarium, nequaquam tamen pro *absolutè optimo* haberi posse. Itaque, ut aiunt, propugnari potest tanquam *hypothesis*, non verò tanquam *thesis* (1); — ex quo maximè S. Pontifex, in Encyclicâ *Quantà curâ...*, post reprobatum, ut suprâ vidimus, principium eorum qui velut « *optimam societatis publicæ rationem* » volunt « ut humana societas constituatur ac gubernetur nullo habito ad religionem respectu ac si ea non existeret... », statim addidit « ... *vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine* »; quod omninò ad liberalismum de quo nunc, convenire videtur.

(1) Hinc *la Civiltà Cattolica* de libertate cultuum, typographiæ, etc., ita habet : « Ces libertés, si on les pose en *thèse*, c'est-à-dire comme » principes universels au regard de la nature humaine et du plan divin, » sont absolument condamnables, et ont été plusieurs fois condamnées par les » pontifes romains, notamment par Pie VI, Pie VII et Pie IX. Mais, à titre » d'*hypothèse*, c'est-à-dire, comme dispositions appropriées aux conditions » spéciales de tels et tels peuples, elles peuvent être légitimes; les Catholiques peuvent les aimer et les défendre, et ils font œuvre bonne et » utile quand ils en usent le plus efficacement qu'ils peuvent, pour le service » vice de la religion et de la justice. » (17 oct. 1863.)

3^o Præsertim verò nullâ in societate illud liberale systema rationaliter extendi potest in eos qui nullam, ne naturalem quidem, religionem profitentur, putâ, in Atheos, Materialistas, etc. Quum enim tales homines ne maximè etiam essentialia ad societatem quamlibet principia profiteantur, nullo societatis beneficio fruendi jus habent, imò et ab eâ, quantum prudenter fieri potest, excludi debent ne cæteros perdant, ut postea ostendetur (1). Et cæteroquin nunquam in partem societatis adeò notabilem venisse queunt ut de iis ratio haberi necesse sit; aut certè jam societas periisset (2).

IV^{us} tandem essendi modus Status erga Ecclesiam est systema *adhæisionis* ac *protectionis positivæ*. Hoc autem ipsum tres admittere potest gradus, quibus veluti progressivè ad tria modò enumerata inconvenientia systematis separationis honestæ et protectionis tantum negativæ occurritur. Religio nempe quam Ecclesia docet et exercet, à Statu assumi potest vel tantummodò ut Cultus nationis *publicus*, vel etiam ut Lex ejusdem *fundamentalis*, vel denique ut Religio *exclusiva*.

In 1^o gradu, Religio prædicta adhibetur tantum à Statu ad preces vel gratias Deo in nomine nationis agendas; et sic occurritur ad illam cultus publici necessitatem, cui, ut vidimus, in systemate

(1) Hinc Napoleo I ad D. de Fontanes : « ... L'homme sans Dieu, je » l'ai vu à l'œuvre depuis 1793 ! Cet homme-là, on ne le gouverne pas : » on le mitraille... » (*M. Ambr. Rendu et l'Univ. de France; Corresp.* Mai 1861, p. 186.)

(2) Et profectò omnes huc usque societates quosdam sibi judicavère necessarios actus quos hujusmodi homines præstare nequeunt, aut certè non illo sensu quem requirit societas, v. g., jurisjurandi sacramentum. Unde illi logicè ab omnibus excludi debent vitæ civilis actibus in quibus hoc requiri potest (Cfr opinionem judicis Angli Taylor, ap. *Ami de la religion*, 4 mai 1861). — Item et arceri debent à magistratibus exercendis præsertimque à jure dicendo; quantamvis enim aliquando honestatem vitæ præ se ferant per felicem quamdam secum insequentiam, impossibile est ipsos justum injustumve eodem criterio ac homines verè sociabiles apprehendere.

Hinc sanè multum cavere debent Catholici ne cum talibus hominibus ita se committant ut jam inde videantur obligati ad libertatem pro iis itidem ac pro se vindicandam; quod honestè et catholicè facere non poterunt, ideoque dein malæ fidei ab iisdem arguentur.

separationis non pro legitimis Dei et naturæ humanæ exigentiis satisficit (1).

In 2^{do} gradu, una religio determinata assumitur non modò pro cultu publico sed etiam pro fundamento et motivo legum, ut quàm maximè utiles esse possint ad bonum generale hominum, prout modò exposuimus (2). Inde Status fit, v. g., catholicus non tantum in actibus

(1) Et illa cæteroquin cultus nationalis necessitas ita hominibus quasi innata est ut, etiam sub regimine separationis et negativæ tantum protectionis, aliquem adhuc publicum hujusmodi cultum ultrò frequentent in magnis quibusque circumstantiis aut magnorum eventuum memoriâ. V. in specimen, apud Aurelianensem civitatem, religiosè celebrari adhuc post plura sæcula solemnissimam illam solemnitatem dictam « *de Jeanne d'Arc.* » Hinc et *Te Deum* post victorias, et preces publicæ in cladibus aut necessitatibus patriæ. — Hoc autem in iis omnibus cavendum esset, ne scilicet preces aut gratiarum actiones à pluribus simul cultibus inter se contradictoriis expetantur. Inde enim publicè probari videtur indifferentismus. Et certè talia, in nomine nationis generatim sumptæ, expeti ab illo cultu qui magnæ civium majoritatis est, minimè repugnat, quia nimirum talis præsertim majoritas pro toto facilè reputatur; — minoritates autem sufficit non ad actus conscientia suæ contrarios cogi, sed liberas relinquere ut pro se, sicuti voluerint, faciant. Repugnat verò ut ab iis, in nomine totius nationis proindeque ipsius imprimis majoritatis, ea ad Deum suffragia expetantur quæ majoritas exerceri quidem tolerat sed Deo minime grata reputat.

(2) « La conviction que la religion est nécessaire à la société, inquit Em. Card. Rauscher, a été jusqu'au XVIII^e siècle, le dogme universel de l'humanité. Les empereurs la prenaient pour règle, et le fameux code de Justinien, disait : Ce que les saintes lois de l'Eglise défendent, nous l'interdisons aussi par nos lois. » (*Lettre pastorale sur la maxime : L'Eglise libre dans l'Etat libre; ap. l'Univers*, 6 juin 1871).

Ipsi politici Angliæ protestantica viri idem defendunt. Ita, v. g., paucis abhinc annis, D. Gladstone (cit. ap. diarium le *Français*, 9 déc. 1868) :

« Il m'est bien difficile de croire que ceux qui luttent maintenant en principe pour la séparation de l'Eglise et de l'Etat, — et ils sont nombreux et honorables, — soient si déterminés à élever leur théorème à la hauteur d'une vérité universelle, qu'ils nous demandent de condamner l'ordre de choses par lequel... le Christianisme a été incorporé avec l'action de l'autorité civile et avec tout l'édifice des lois. L'histoire de l'humanité nous présente certainement peu de mal sans mélange, et en-

suis propriè religiosis, sed in totâ vitâ suâ sociali. Fieri tamen potest ut aliæ religiones (etsi necessariò aliquid sibi inconvenientis inde patiendum habeant) sub isto regimine adhuc tolerentur.

In 3^o autem gradu, omnes aliæ religiones, ne scandalum et indifferen-

» core moins de bien. Il n'est pas difficile de reconnaître qu'à mesure que
 » le monde se christianisa, le Christianisme devint mondain. Le ton d'un
 » système qui embrasse dans son vaste sein la communauté tout entière,
 » doit nécessairement être moins élevé que celui d'une société privée tout
 » en étant étendue, et dans laquelle personne n'est admis que par son pro-
 » pre choix et souvent même au prix de beaucoup de sacrifices temporels
 » et personnels. Mais enfin le Christ est mort non pour un petit nombre,
 » mais pour le genre humain...; et l'on peut douter que, sans son al-
 » liance avec l'autorité civile, la religion eût jamais atteint les résultats so-
 » ciaux, immenses et inappréciables, dont elle jouit aujourd'hui. Pour ma
 » part, tout en admettant ce qu'il peut y avoir de fondé dans ce qu'on dit
 » des dangers de mêler des motifs séculiers avec l'administration reli-
 » gieuse, et surtout d'introduire la force dans le domaine de la pensée, je
 » ne puis cependant désirer que Constantin dans le gouvernement de l'em-
 » pire, Justinien dans la rédaction de son Code, Charlemagne dans le re-
 » maniement de la société, Elisabeth dans la crise de la Réformation an-
 » glaise (protestanticus homo loquitur), eussent agi d'après le principe que
 » l'Eglise et l'Etat sont des puissances séparées ou étrangères incapables
 » de s'unir dans une action commune. »

Cui consonat, ipsius cæteroquin æmulus, D. Disraëli (ita cit. ap. *Journal des villes et des campagnes*, 23 mars 1868) :

« Rien ne devrait nous paraître plus important que de lier la Religion
 » au gouvernement. Si vous ne rapprochez pas le principe de la Religion
 » du principe du pouvoir, il vous faudra affaiblir le pouvoir, dégrader le
 » caractère du gouvernement. Si, une fois, vous amenez un divorce entre
 » l'autorité politique et le principe religieux, il ne vous restera guère, ce
 » me semble, que la police. » — Atque inde concludens ad *Ecclesiæ dota-*
tionem, quam *stipendio* præfert utpote dignitati *Ecclesiæ* magis providen-
 tem : « ... Une Eglise, inquit, — et ici j'entends non notre Eglise, ni
 » l'Eglise catholique, mais tout corps d'hommes religieux ayant une
 » organisation, — une Eglise dotée, dis-je, raffermi la foi. Et je dis
 » ceci surtout de notre pays, où l'on a fait tant de lois sur la charité,
 » sur l'instruction publique, sur la réforme pénitentiaire, etc. Si l'Etat
 » n'a pas sous la main la coopération digne et active d'un corps d'hommes
 » voués à ces œuvres, il devient impossible de les réaliser... Je le ré-
 » pète, un peuple religieux se prononcera toujours en faveur de fondations
 » ecclésiastiques. »

tismum generent, lege civili interdicuntur, et consequenter manifestatio earum externa pœnis ab eâ deterrentibus, pro locorum temporumque more, plectitur. Hoc est systema *intolerantiæ civilis* : de quo quia multæ circumferuntur objectiones et delicatiores reverà exurgunt quæstiones, in § speciali tractandum est.

II.

Hic primò enuntiandum est *principium* cum certis quibusdam *reservationibus*; atque hæc omnia deinde per partes elucidare erit, probare ac vindicare. Igitur

Respectu etiam boni hominum spiritualis, jus et officium existere potest vim externam adhibendi contra hunc quem certò novimus esse errorem;

— dummodò 1^o hæc adhibeatur ad cohibendum quidem errorem, non autem ad imponendam veritatem:

— dummodò 2^o media non adhibeantur aded odiosa ut magis inde detrimenti quàm commodi veritatis causa capiat;

— dummodò 3^o bonum non majus impediatur quàm illud quod procuratur.

Explicatur primò *principium*, nempe, dicimus 1^o : *Respectu etiam boni hominum spiritualis...*; omnes enim generatim absque controversiâ fatentur vim externam adhiberi posse respectu boni hominum *temporalis*, ubi ipsum saltem proximè periclitatur. Et quidem, quia, in sæculis præsertim fidei admodum vividæ et morum adhuc duriorum, vix fieri poterat quin pax publica et bonum temporale cum unitate fidei et bono spirituali simul committerentur, illa etiam consideratio ferè semper adduci potest et reapse adducitur ad explicanda *intolerantiæ* facta in præterito. Verùm, nisi ab eâ nunc abstrahamus, nunquam ad intimum quæstionem tractabimus.

Dicimus 2^o... *jus et officium existere potest...*; *jus* nempe solum dabitur ubi, propter æqualitatem ferè vel incertitudinem mali tum è tolerantia tum ex intolerantiâ obventuri, alterutram quasi ex æquo adhiberi licebit; *officium* verò aderit ubi, propter magnam mali è tolerantia orituri exsuperantiam, jam ad intolerantiam verè obligabimur. — Item, ut locus relinquatur *hypothesi*, de quâ suprâ, p. 395, non dicimus semper... *existit*, sed tantùm... *existere potest jus et officium...*

Dicimus 3^o... *adhibendi vim externam*...; quæ inter homines in societate constitutos non alia esse potest ac *vis publica*, quia nempe illi à vi etiam justâ per se exercendâ abdicantur. In societate verò nondum constitutâ, putâ, inter aliquos naufragos in insulâ desertâ ejectos, cujusque esset individui vim suam propriam in scopum prædictum, si opus esset, adhibere. Imò et talis hypothesis utiliter fieri poterit ut præsens quæstio ad suam quàm simplicissimam expressionem reducatur.

Dicimus 4^o... *contra hunc quem certò novimus esse errorem* : sive nempe certitudo illa veniat è divinâ fide, maximè ubi ab auctoritate Ecclesiæ infallibili proponitur, sive etiam ex evidentissimâ ratione : nec enim pro veritatibus tantùm revelatis et catholicis quæstio præsens institui potest, sed pro veritatibus quibusque certis et ad bonum hominum certò spectantibus : unde non theologiæ tantùm, sed et imprimis juris naturalis quæstio est. — His positis,

Prob. principium nostrum per hanc simplicissimam rationem :

Deus, dum nos jubet bonum quodcumque proximi æquè ac nostrum procurare (Eccli., XVII, 12 ; Matth., XXII, 39), nullum ad hoc excipit medium, modò licitum et utile.

Porro vis externa, in multis circumstantiis, esse potest medium licitum et utile ad bonum etiam spirituale procurandum.

Ergo, respectu etiam hujus boni, jus et officium existere potest vim externam adhibendi, etc.

Hùc autem ad *Minoris* impugnationem omnes ii undique concurrunt qui nuncupari possunt *Liberales doctrinarij*, utpote qui libertatem expetunt pro omni doctrinâ aut saltem pro omni doctrinâ quæ non ad bonum temporale proximè nocet (1); atque id non modò

(1) Dico... *quæ non... proximè nocet*; non enim desunt qui doctrinis etiam omnis societatis subversivis, quamdiu non in conspirationem actu vertuntur, libertatem vindicant. Sic, v. g., D. de Pressensé, in discussione circa *Internationalem*, ut aiebant, *societatem* : « Ne craignez pas, inquit, les orages qui se forment sur les sommets de la pensée. » (Assemblée nation., 12 mars 1872). — Quo sanè nescio utrùm quid dici possit falsius, ut nimia experientiâ comprobatum est. — Et tamen liberalismum hunc exitiosum adeò altè imbiberunt animi nostri temporis, ut ipse Dⁿⁱ de Pressensé adversarius et legis propositæ expositor ac defensor D. Sacasé ita fateatur (ibid.) : « Il est généralement admis, aujourd'hui, que des châtimens ne

practicè expetunt ut quid pro circumstantiis necessarium vel conveniens, sed et *theoricè* tumentur, alii quidem ut in se *optimum*, alii etiam ut *jus absolutum*. Unde S. Pontifex in *Encyclicâ* jam memoratâ utrosque reprobât, dum videlicet condemnat tum eos qui « contra » Sacrarum Litterarum, Ecclesiæ Sanctorumque Patrum doctrinam, » asserere non dubitant *optimam esse conditionem societatis*, in » quâ imperio non agnoscitur officium coercendi sancitis penis vios » latores catholicæ Religionis, nisi quatenus pax publica postulet ; — tum eos qui « haud timent erroneam illam fovere opinionem, catholicæ Ecclesiæ animarumque salutem maximè exitialem, à rec. mem. » Gregorio XVI ... *deliramentum* appellatam (1), nimirum, libertatem conscientiæ et cultuum esse *proprium cujuscumque hominis* » *jus*, quod lege proclamari et asseri debet in omni rectè constitutâ » societate, et jus civibus inesse ad omnimodam libertatem nullâ vel » ecclesiasticâ vel civili auctoritate coarctandam, quo suos conceptus » quoscumque, sive voce, sive typis, sive aliâ ratione, palàm publicèque manifestare ac declarare valeant » (2).

» doivent pas atteindre l'erreur, qu'un système erroné, quelque dangereux qu'il soit, relève surtout de la discussion, et que, bien loin que l'ordre public puisse en être atteint, il y trouve au contraire de la force et de l'appui, parce que la vérité, en effet, y gagne en popularité et en évidence. » — Quod infra examinabimus.

(1) Encycl. *Mirari vos...*, 15 Aug. 1832.

(2) Ad hæc etiam spectant quatuor propositiones, in *Syllabo* Encyclicæ annexo, ultimo loco positæ, sub hoc nempe titulo :

« *Errores qui ad liberalismum hodiernum referuntur* :

» LXXVII. Etate hæc nostrâ non ampliùs expedit Religionem catholicam haberi tanquam unicam Statû religionem, cæteris quibuscumque cultibus exclusis.

» LXXVIII. *Hinc* laudabiliter, in quibusdam catholici nominis regionibus, lege cautum est ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cujusque cultûs exercitium habere.

» LXXIX. *Enimverò* falsum est civilem cujusque cultûs libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palàm publicèque manifestandi, conducere ad populorum mores animosque faciliùs corruptendos ac indifferentismi pestem propagandam.

Quæ sanè solemnes è *cathedrà Petri* condemnationes (V. suprà p. 140) pro fideli catholico satis esse debent ad finiendum errorem (1). Ut verò minùs fidelibus mos aliquis geratur, non inutile erit præcipuas liberalismi doctrinarij objectiones breviter discutere.

Ille minimirùm è tribus satis diversis fontibus sua desumit argumenta, scilicet I — è scepticismo, II — è falso quodam libertatis humanæ respectu, III — è nimia in vires humanas confidentiâ. — Quo-

» LXXX. Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere. »

Has porrò propositiones tum ex se, tum ex circumstantiis Actorum pontificiorum è quibus excerptæ sunt, satis patet ad principia per Encyclicam damnata referri. (Cfr suprà, p. 235, *in notâ.*) Et ipsa cæteroquin earum expressa connexio apertè indicat ipsas reprobari quatenùs fundamentum sibi quæsierint non in aliquâ tantùm circumstantiarum necessitate luctuosâ, sed in recentiori civilitatis progressu, et prætensâ libertatis cultuum et opinionum innocuitate.

(1) Ad illas tamen condemnationes declinandas, *Catholici-liberales* plura tentaverunt effugia quæ jam indicare expedit ac prævertere.

Sic 1º nunc asserunt damnari tantùm *tolerantismum doctrinalem*, qui nempè supponeret omnes doctrinas esse indifferentes, incertas, mutabiles. Patet verò ex ipsâ Encyclicâ vel obiter perlectâ damnari illic *tolerantismum civilem*, juxta quem nimirùm doctrinas etiam certò falsas ac malas civili libertate frui convenit. Et secùs, Encyclicæ certè superflua fuisset.

Nunc 2º, hoc admissio, fingunt damnari tantùm libertatem doctrinarum *illimitatam*, et pontificiis injunctionibus satisfieri confidunt modò à libertatis publicæ jure excipiantur quædam doctrinæ omnis ordinis socialis subversivæ, quales sunt, v. g., atheismus, materialismus, communismus. Verùm etiam patet non illic sistere Encyclicæ sensum ac scopum. Et certè S. Pontifex apertè docet non ad *optimam conditionem societatis* satis esse si violatores catholicæ Religionis coerceantur tantùm *quatenùs pax publica postulat*.

Tandem 3º declarant se noluisse decidere quid sit optimum per se et attentâ naturâ generali hominum, sed tantùm quid sit hic et nunc practicè optimum vel etiam necessarium attentis præsentibus circumstantiis; et sic apparent nobiscum facilè conciliabiles. Addunt autem interdùm hanc hodiernam conditionem vel necessitatem « maximum esse progressum » (Sic jam Montalembert : *Lettre à Cavour*, ap. *Corresp.*, oct. 1860, p. 200; rursusque : *Disc. de Malines*, ibid. août 1863, p. 572). Porrò si hoc est progressus, ergo hoc est per se optimum; et sic reducuntur ad sensum ab Ecclesiâ damnatum,

cumque autem è fonte oriatur, in eadem semper devenit agendi regulam quæ veluti generalis illius formula haberi potest, nempe : « *Omne Statûs civilis officium est non per se bonum civium procurare, sed solummodò libertatem eorum omnium, quantum fieri potest, protegere*, ut quisque dehinc per se sibiipsi suum procuret bonum, i. e., *verum, justum et commodum*, in quocumque rerum ordine » (1). — Porro quidquid de hâc regulâ in ordine politico, scien-

(1) Hanc eandem ideam ita breviter ac excellenter exprimit unus è liberalismi omnimodi defensoribus quàm maximè sinceris, D. Laboulaye : « Nous ne regardons plus l'Etat comme le faisaient nos pères. Pour nous, » L'ETAT N'EST QUE LE GARANT DES LIBERTÉS INDIVIDUELLES. » (Assemblée nation. : *Disc. sur la liberté de l'enseignement supérieur*, 22 décembre 1874). Cfr et D. Arnaud, de l'Arriège : *La Révolution et l'Eglise*, l. III, ch. II, § 7 : *L'Etat n'a aucune mission directrice* (T. I, p. 307). Hæc cæteroquin idea toti subest celeberrimæ *Declarationi jurium hominis*, a. 1789 cujus haberi potest veluti mens et animus.

Hinc non omninò probamus illos liberalismi adversarios qui, ut definitionem illius profundioram afferant, eam ab aliquo ex illius fontibus repetere affectant, ideoque liberalismum consistere dicunt alii in scepticismo aut indifferentismo, alii in atheismo aut saltem independentiâ hominis ergâ Deum, alii in negatione Revelationis divinæ aut Ecclesiasticæ auctoritatis, alii in negatione lapsûs originalis, etc., etc. — Quæquæ enim hujusmodi definitio afferatur, multi certè erunt qui liberalismum suum ab alio principio repetent, ideoque sese inde minimè percussos habebunt. Definitio igitur nostra ponendâ est in hoc quod omnes liberalismi species habent commune, i. e., in restringendo Statûs officio ad simplicem libertatis uniuscujusque protectionem, quocumque cæterùm è fonte idea illa derivetur.

Nec etiam probare possumus modum loquendi quorundam Catholicorum, qui nempè, ut nomen illud *libertatis* multis adèb gratum semper defendere videantur, nihil sibi et Ecclesiæ adeo cordi esse asserunt quam ut libertas cuique semper integra servetur, *libertas* autem, inquiunt, *non mali sed boni*. Hoc autem modo certè non adversarios suos placabunt. Quemadmodum enim non theologis nostris satisfaceret ille qui libertatem hominis internam diceret *immunitatem à coactione* tantùm, non autem à *necessitate*, aut libertatem *contradictionis* tantùm esse, non autem *contrarietatis* (V. apud theologos in *Tr. de Actibus humanis*), ita certè nec istis liberalismi asseclis quibuscum res est, ille satisfaciet qui ipsis quidem relinquet libertatem exterius agendi quod Auctoritati bonum videtur, non autem benè vel malè, pro ipsorum arbitrio, agendi. Hanc enim ipsam *mali*

tifico, industriali, etc. cuique sentire liceat, nos illam in ordine tantum religioso considerantes, ipsam illic *theoricè* falsam demonstrare confidimus, non modò quia, vel primo intuitu, principio supra posito (p. 399) contraria apparet, sed et quia nonnisi falsa argumenta è variis suis fontibus profert. Quid autem *practicè* ex eà pro circumstantiis admitti possit vel debeat, in fine videbimus.

Igitur I — ita argumentantur è *scepticismo* plùs minùsve sui conscio : « Nunquam certus esse potes veram doctrinam verumque bonum te penès esse potiùs quàm penès alium. Ergo debes nunquam obstare ne alius æquè ac tu homines persuadere possit » (1).

Resp. : *Nego antecedens* : Scepticismus enim est.

libertatem requirunt, ne iudicio Auctoritatis stare teneantur. Porro confundendi sunt planè, non autem verbis illudendi.

(1) « Nul ne peut blesser la liberté de conscience dans autrui, sans être certain de posséder la vérité entière et absolue ; et nul ne peut être certain de posséder en toutes choses la vérité entière et absolue, et l'interprétation absolument vraie de la vérité absolue. » D. J. Simon : *Liberté de conscience*, 3^e édit., sommaire de la 4^e leçon. — Imò et cfr D. Laboulaye : *Lib. relig.* p. 8, et ipsum D. Guizot : *L'Egl. et la soc. chrét.*, ch. II ; citatos ap. DD. Freppel : *S. Justin*, p. 245, et *Tertullien*, T. II, p. 205.

Observari potest cæteroquin scepticismum istum quem philosophi pro libertate allegant, sæpe apud políticos contra libertatem retorqueri ; qui nempe omnem doctrinam tantisper sibi suspectam eò faciliùs interdiciunt quò nullam doctrinam certam haberi posse existimant, nec intelligunt quomodò quis possit ita alicui doctrinæ adhærere ut eam paratus sit contra Principum voluntatem et usque ad mortem defendere. Atque hinc fit ut iidem sæpe homines qui, ex unâ parte, nos incusant violentiæ et tyrannidis eo quòd illum quem certò tenemus esse errorem, lege ac vi cohibendum fore censemus, ex alterâ nos itidem rebellionis et temeritatis incusent eo quòd ab illâ quam certò credimus esse veritatem, sive apud nos profitendâ, sive etiam apud extraneos prædicandâ, nec lege nec vi deterri possimus. Hinc illud, v. g., quo Bailly compellabat D. Emery : « Lorsque la loi parle, la conscience doit se taire!... » (*Vie de M. Emery*, t. I, p. 246). Hinc illæ quorundam hominum criminationes adversus *missionarios* nostros eo quòd infringant leges Statuum internas, à quibus illi religionem unicè pendere autumant. (Ita, v. g., Martens : *Précis du droit des gens*, t. I, p. 314). Quæ omnia, quantumvis diversa, ex uno eodemque scepticismi religiosi fonte manare satis patet.

Instabis forsàn magis rationabili argumento : — « At saltem plerùmque supponere debes alium, etiamsi errantem, bonâ fide errare, nec proinde puniendum esse. Ergo non jus habes ullam ei irrogandi pœnam. »

Resp. : *Concedo antecedens*, generatim loquendo (1). Verùm si quas illi irrogo pœnas, non tam ad puniendum quàm ad deterrendum ne is aut aliquis alius hominibus similiter noccat. Sic, in bello, v. g., speculatoribus ab hoste missis terribiles sæpe irrogantur pœnæ, quin illi ideò censeantur contra conscientiam suam peccasse.

II — Exinde ad *respectum libertatis humanæ*, transeunt, quam veluti quodam *jure divino* absoluto, independenter ab omni effectuum appetitione, inviolabilem haberi volunt (2). Dicunt nempe

« Quod Deus dedit, restringere non homini licet (3). Deus sinit zizania in medio tritici crescere usque ad messem. Ergo non licet hominibus errores violenter auferre. »

Resp. : Fures et sicarii sunt quoque zizania ; nùm ideò, ante diem iudicii, eos auferre vel cohibere vetamur?... — Qui nempe hanc objectionem proferunt, voluntatem Dei *permissivam*, quâ nullo modo ab agendo interdicimur, confundunt cum voluntate ejusdem *positivâ* contra quam reapse, si nota esset, nos agere non liceret. Deus certè *libertatem*, non *jus errandi* et malefaciendi dedit homi-

(1) Nostri quidem patres illud forsàn non adeò facilè concessissent ; quippe qui toti in fide enutriti vix credere poterant aliquem sincerè extra eam esse, maximè quum, ut ferè semper eorum tempore, ageretur de apostatis. Nos autem certè multò libentiùs sinceritatem imò et inculpabilitatem admittere debemus eorum præsertim qui à pluribus generationibus quasi errore involuti nascuntur. V. DD. de Ketteler (*Liberté, Autorité, Église*), qui multùm in hac observatione insistit. Atque huc cfr præclarum illum S. Augustini locum : « Illi in vos sæviant (Manichæi), qui nesciunt cum quo labore verum inveniatur... Ego autem qui diu multùmque jactatus... » etc.... » (*Contra epist. Fundamenti*, 2, 3).

(2) Ita *Liberales* strictè ac propriè dicti, (inter quos D. Arnaud, de l'Armée : *La Révol. et l'Égl.*, ubi se catholicum adhuc profitetur licèt plurimam Ecclesiæ inferat injuriam). — Ii generatim nomen *tolerantiæ* respuunt quasi injuriosum, quod nos è contrâ servare debemus utpote quod solum erga errorem conveniat (Cfr Balmès : *Le Protestantisme*, etc., t. II, ch. XXXIV).

(3) D. Thiers : *Discours sur la question romaine*, 4 déc. 1867, 2^{de} P.